DE HAEMORRHOEA PETECHIALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIX. M. APRILIS A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS AUG. VERING,

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

FR. BELLMER, MED. DR.

E. DE *KOENEN,* MED. DR.

E. SPEITH, MED. CAND.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

PATRI OPTIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO,

Dr. ALBERT. MATH. VERING,

MED. PRACT., ACADEMIAE MED. ET CHIRURG. VIENNENSIS NEC NON SOCIETATIS MED. AEMULAT. PARISIENSIS SOCIO A LITERIS,

HASCE

LITERARUM SUARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Per paucos annos artis salutaris partem theoreticam edoctus, et vix in exercenda arte versatus, magna audacia esse videri debet, ut materiam hujusce primi opusculi elegerim descriptionem morbi, cujus ad naturam definiendam et declarandam experientia medicorum eruditissimorum opus est, de quo etiam auctores celeberrimi scripserunt. Me autem excusatum habeo, ex causa, quod ea, quae diversi auctores diversa commemoraverunt, conjuncta et consensa reddere studebam. Morbus jam primus, quem,

duce patre carissimo, observavi, erat haemorrhoea petechialis, quo etiam impulsum cepi.

Quasdam observationes addidi, quarum tres primas, transitus in apoplexiam causa, insignes, acceptas refero patri, quarum ultima, a me ipso observata, haemorrhoeam completam vehementissimam exprimit.

Si labor scopo intento non respondet, veniam imploro.

MORBI NOMINA.

§. 1.

Qui morbus ad auctorem, qui primus eum descripsit, morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii nominabatur. Alia diversa nomina imposuerunt auctores diversi: petechia sine febre (Rombergius); petechianosis; haemorrhoea petechialis (Adair); haemorrhoea (Duncan); stomacace universalis (Sauvages); peliosis (ἀπὸ τοῦ χρώματος πελιοῦ, Swediaur); purpura apyreta (Cusson); purpura haemorrhagica (Willan, Bateman).

MORBI DEFINITIO ET HISTORIA.

§. 2.

Haemorrhoea petechialis est morbus, in quo, sanguine telam cutis in cellulosam extravasato, simulque in partibus corporis internis collecto, ex apertis, interdum ex omnibus, plerique ex oris cavo et naribus effluente, seu rubicundae seu coeruleae, seu lividae seu nigrae cuti insunt maculae, in initio puncti instar, quod augescere solet, causa nitens scilicet, quod vitio laborant

vasa systematis cutanei capillaria dynamico, quod et sanguis dissolutus est, vel in degenerationem inclinatur: morbus ut plurimum sine febre, rarissime cum febre, sine doloribus atque moliminibus vehementibus, sed cum lassitudine, signis debilitatis motuum muscularium, et incipit et decurrit.

Morbum primo *Werlhof* distinxit, a petechiis acutis discernens, illum definivit morbum proprium [1]). Jam antea, quam *Werlhof*, alii auctores, *Salius Diversus* (de febre pestil. c. 12.), *Petr. a Castro, Strack, Diemerbroeck, Burserius,* febribus petechialibus epidemicis, petechias sine febre absque symptomatibus scorbuti observaverunt. *Amatus Lusitanius* (curat. med. cent. III. observ. 70.) anno 1550. morbum descripsit sub nomine morbi pulicaris sine febre.

An haemorrhoea veteribus fuerit nota, dubitandum est; nonnulli crediderunt auctores haemorrhoeam, alii contra scorbutum, invenire in *Hippocratis* operibus sub nomine „μεγάλοι σπλῆνες" (Hipp. de adfect. pag. 527.), et „εἴλεος αἱματιτης" (Hipp. de intern. adfect. p. 557.) [2]). *Bateman* negat.

---

[1]) *Werlhofii* opera med. colleg. et auxit Wichmann, Hannoverae 1775. T. III. pag. 540.

[2]) *Gruner* morbor. antiq. p. 132—133.

Petechias, febrium symptomata, veteribus notas fuisse, in ipsis operibus indicaverunt. Haemorrhoea, quam petechiae, tam diu grassata esse, et cum illis commutata licet videri; uterque enim morbus ejusdem est naturae.

Wichmann, *Werlhofii* opinionem persecutus, diagnosin morbi magis perfecit, ejusque cum petechiis identitatem declaravit. Ab illo tempore multi auctores haemorrhoeae naturam perscrutati sunt; attamen natura adhuc non plane definita est. *Bateman* praecipue haemorrhoeae, sub nomine purpura, in descriptione praestitit.

OPERA.

Graaf dissert. de petechiis sine febre; Gott. 1775.

Wichmann Ideen zur Diagnostik. 1ster Band. Hannover 1794.

Joh. Gust. Acrel resp. *Car. Zetterstrom* dissert. de Haemorrhoea. Upsalae 1797.

Havinga de morbo maculoso etc. Groningae.

Vogel Handb. der prakt. Arzneywissenschaft. 5r Thl. Stendal 1800.

Fr. Bateman's prakt. Darstell. der Hautkrankheiten, nach Willan's System bearb., aus dem Engl. von Hanemann, mit einer Vorrede von K. Sprengel. Halle 1815.

Haase chronische Krankheiten. 3r Bd.

Raimann Handbuch der speciellen med. Pathol. und Therapie. 2te Aufl. 2r Bd. Wien 1823.

MORBI SYMPTOMATA ET DECURSUS.

§. 3.

Raro maculas solas adesse, sine haemorrhagiarum praesentia, etiam utplurimum haemorrhagias serius, quam maculas, ingredi solere, atque in utroque casu majorem morbi gradum, haemorrhagia incipiente, indicatum esse, experientia sane docet. Indicationem naturae sequenti divisio naturalis vel stadia duo morbi offeruntur: haemorrhoeae quidem incompletae, seu stadium primum, haemorrhoeae completae, seu secundum. Juxta hanc divisionem morbum describere audebo.

PRODROMI.

§. 4.

Haemorrhoeae saepe per aliquos dies aut septimanas praecedunt prodromi, qui motuum muscularium debilitatis, animique hebetudinis sunt signa, lassitudo, artuum dolor atque ciborum fastidium. Haemorrhoea autem saepissime sine prodromis, interdum sanitate visa, subito incursat. *Dolaeus* (in ephem. nat. cur. dec. II. ann. IV. obs. 118.) narravit casum in puero: »cujus omne corpus, absque dolore, febre aut lassitudine praegressa, subito una cum facie, labiis et lingua, ubi mane adsurgeret, numerosissimis maculis lividis et nigerrimis obsitum fuit

etc." Similes casus *Zwinger* (in act. nat. cur. vol. II. obs. 79.), et *Werlhof* (in commerc. liter. Norimberg. an. 1735. hebd. 1. et 2.) commemoraverunt. Omnibus eis in casibus una nocte maculae proruptae mane visae sunt.

STADIUM PRIMUM SEU HAEMORRHOEA INCOMPLETA.

§. 5.

Quod stadium incipit cum macularum proruptione. Cutis maculae vel petechiae, diversae magnitudinis et coloris, nec tactu distinguendae, nec a compressione evanescentes, leniter cum cute confluentes, ad corporis superficiem prorumpunt, plerumque primo in pedibus, tunc in cruribus, tandem in brachiis et trunco; manus raro, rariusque facies maculantur. Raro omne corpus simul obsidetur cum maculis. Primo apparent maculae minores et rotundae, instar pulicum morsuum, deficiente tamen in medio punctura, vel magnitudinem lentis aequantes, rubrae, purpureae; tum fiunt paulatim majores, minus rotundae et coeruleae, tandem lividae et nigrae evanescentes, dum aliae interdum denuo erumpunt. Saepe primo statim tempore nigrae vel violaceae progerminant; saepe etiam valde magnae fiunt et inaequales, atque in vibices et ecchymomata, vestigiis a flagelli plagis vel contusionibus

ortis similia, confluunt [1]). Semper rotundas vidi maculas, grossi aequantes magnitudinem, in casu postea narrando; thalero majores reperit *Reil* [2]). Oculos ipsos maculatos apparuisse, vidi in eodem casu.

Evanescentes sumunt nonnullae maculae colorem fuscum et flavum; si aliae denuo erumpunt, coloris simul diversitas saepe videtur [3]). Pressu cutis laevissimo, etiam pulsu in tentando oriri possunt maculae. Petechiae non solum insunt cuti externae, sed linguae, palato, gingivis, latere labiorum genarumque interno, quae, epidedio valde tenui, magis elatae, levi tactu diruptae, sanguinem effundunt venosum collectum. Non inflammantur maculae, non florent, neque maturescunt, neque in squamas decidunt, et non pruriunt sicuti exanthemata.

Epidermem siccam, glabram esse, fere nitidam et minime elatam dicit *Bateman*. In pluribus casibus in vesiculas epidermem continentes sanguinem nigrum elatam esse, observatum

---

1) *Bateman* in libro dicto. p. 178. — *Duncan* medical cases. 1778. p. 91. — *Aikin* memoirs of the med. societ. Lond. Vol. III. p. 394. — *Graaf* dissert. de pet. sine febre. Gott.

2) *Reil* memorab. clinica. Vol. 1. p. 211.

3) *Bateman* in libro dicto.

est [1]). Alii invenierunt siccam et viride flavam. Quo in stadio, nisi jam in stadio prodromorum praegresso, eorum symptomata paulatim ingrediuntur. Debilitas autem et lassitudo est minor, pulsus plerique normalis, interdum tardus et parvus: verumtamen adhuc ad negotia sua pertractanda apti sunt aegroti, de reliquo bona valetudine praediti. Febris omnino deest, aliaeque deficiunt complicationes; obstructio alvi nonnunquam complicata est.

§. 6.

Duratio est varia hujusce stadii; interdum dies, interdum menses, adeo annos duravit. ***Duncan*** narrat casum pueri, de reliquo bonae valetudinis, quo, pilae lusum agentes (players at golf), ut baculos admitteret, plures per annos utuntur, cujus obsiderunt cutem continuo petechiae; ictu laevissimo vibices oriebantur et maculae magnae purpureae, tandem, haemorrhagia ex pulmonibus orta ingente, mortem obiit puer [2]).

Exitus stadii primi ut plurimum est conso-

---

1) *Reil* memorab. clinic. Vol. I. — Comment. de reb. med. e gestis. Lipsiae. Vol. IV. — *Willan's* reports on the dis. of London. p. 167. — *Acrel* resp. *Car. Zetterstrom* diss. de Haemorrh. — *Wolff* in act. natur. cur. Vol. VII. obs. 131. — *Rogert* in act. reg. soc. med. havniens. Vol. 1. p. 185.

2) *Bateman* in eod. libro p. 181.

ciatio secundi; sanatio enim non facile fieri potest, nisi sanguis in internis partibus jamjam collectus profluat. Si morbus longe duraverit, ne subito haemorrhagia ex aliqua interna parte copiosa mortis causa fiat, valde timendum est.

Haemorrhoeam incompletam sine haemorrhagiarum praesentia in sanitatem transire alii observaverunt. Foemina quaedam debilis, quadraginta annos nata, petechiis laborans in pedibus, subito inientibus menstruis ingentibus, statim sanata est [1]). *Reil* inter varios alios haemorrhoeae casus unum observavit, solis petechiis maculisque cutaneis stipatum absque omni haemorrhagia [2]). Si salutis spes est, evanescunt maculae modo descripto, et redit sanitas. Saepe autem morbus intermittit et recidit.

STADIUM SECUNDUM, VEL HAEMORRHOEA COMPLETA.

§. 7.

Incipit hoc stadium cum sanguinis profusionibus tum ex aliquibus, tum ex omnibus corporis partibus apertis. Stadio primo non praegresso nonnunquam haemorrhoea iniit statim completa.

Sanguis omnino plerumque profluit ex oris cavo, gingivis, palato et naribus, labiorum pagina

1) *Bateman* in eod. libro p. 183.

2) *Reil* memorab. clinica. p. 214.

interna atque genarum, cum in illis locis maculae, magnitudinis unguis, cariosae et sicuti in gangraena corrosae, illum edant. Effunditur sanguis ipse ex aure externa, oculis, lingua, trachea et urethra; eodemque modo ex cavis internis, pulmonibus, ventriculo, intestinis, utero, renibus et vesica urinaria. Urina et alvus plerique cruenta. Quoque die interdum haemorrhagiae redeunt periodis certis, interdum rariores incertis intervallis; mox copiosae sunt, non facile sistendae, periculosae et letales, mox paucae, sanguine tarde et fere continuo ex partibus dictis exstillante, ex quo oris cavum semper sanguinis plenum est. Omnes corporis partes apertas simul sanguinem mittere, adeo duas in collo cicatrices in uno casu vidi.

Lassitudo, artuum dolor, inappetentia et debilitas universa, in quantitatem augescens sanguinis profusionum, haemorrhoeam comitantur completam. Pulsus plerique debilis est, tardus et parvus, interdum naturalis. Saepe de reliquo aegroti nullo laborant molimine vel vitio, ceterum omnes reliquae corporis functiones legitime procedunt, animus serenus pulsusque naturalis sunt, aeger bene dormit, haemorrhagia cessata, cibos appetit, obambulat, sua negotia tractat, neque ullam corporis lassitudinem viriumque defectum queretur. Omnia nonnunquam molimina

vehementia sunt, aeger jacet insomnis, habetudine viriumque defectu laborans summa. In casibus rarissimis febris adest; interdum adesse in haemorrhoea rubedinem, et transspirationem adauctam, signa status febrilis levis, ut paroxysmi febris in dentitione redeuntia, *Bateman* docet [1]). Idem etiam pulsum nonnunquam frequentem reperit. *Reil* [2]) in haemorrhoea febrem vasorum commemorat. Nonnulli aegroti dolorem in regione epigastrica, pectoris, crurium seu ventris, tussem, tumorem in regione epigastrica et tensionem querentur; quae molimina ex sanguinis in eisdem locis collecti pressione orta credo; eodem modo oritur nausea et vomituritio. Complicationes adhuc sunt: cruditates primarum viarum, obstructio alvi vel diarrhoea, tumor parotidis et genarum, auditus difficilis etc.

Aegrotam quandam de doloribus genuum et pedum, de dolore capitis in regione frontali, nec non de doloribus transitoriis in regione lienali hypochondrii sinistri quereri *Reil* [3]), haemorrhoeam cum hepatis morbo consociatam fuisse *Bateman* narrat [4]).

Morbo in apoplexiam finiente, somnolentia,

---

1) *Bateman* in libro dicto p. 181.

2) et 3) *Reil* memor. clin. Vol. I.

4) *Bateman* in libro dicto p. 187.

cephalalgia aliaque plethorae capitis signa associantur. Aliae complicationes a causarum impetu excitantium pendent.

§. 8.

Mox breviter, mox longe durat hocce stadium, vel continuo decurrit ad finem, vel intermittens longis intervallis redit. Utroque stadio conjuncto, et secundo utplurimum remittente, morbus per menses, per annos, durare potest.

Morbo longe durante, aegrotus accipit speciem pallidam et squalidam, oedema pedum, ad hydropem facile progrediens conjungitur. In mortem transit haemorrhoea completa virium consumtione, tabe, hydrope, plerique sanguinis profusione copiosa ab aliquo organo gravi subito exonerati, seu tardo et contemnuo ex partibus diversis effluxu, saepe autem apoplexia.

Sanatione iniente, maculae paulatim evanescunt et haemorrhagia cessat, dum maculae sanguinolentae in cavo oris puriores et minores fiant.

§. 9.

Sanguis profusus plerique cruor est niger et tenuis, sine crusta inflammatoria; alii eum subrubicundum et tenuem descripserunt, aliique etiam crassum. Nigrum, aquae limpidae instar tenuem, cruorem invenivit *Reil* [1]). Secundum

---

[1]) *Reil* memor. clinic. Vol. I.

observationes *Bangii* [1]) cruor odore et sapore caret; ejus saporem in uno casu dulcosalsum fuisse, *Klinge* [2]) narravit.

Emissi quantitas sanguinis est diversa; ejus in oris cavo collecti quantitatem uno die in homine sexaginta annos nato duas effecisse libras *Wichmann* commemoravit [3])

DIAGNOSIS ET NATURA.

§. 10.

Signa haemorrhoeam manifestant diagnostica: maculae, haemorhagiae, febris deficiens, et debilitas universa, saltem in decursu. In causas respicientes, et haec signa considerantes, diagnosin intelligere rectam possumus.

Febris, si adsit, a debilitate viriumque consumtione, seu a quodam sanguinis incursu locali pendet, et complicatio haemorrhoeae habenda est. Morbi quibuscum haemorrhoea facile confunditur, sunt petechiae, et scorbutus, Petechiae et haemorrhoea discernuntur in eo: quod haemorrhoea, morbus proprius, plerique sine febre et prodromis, atque sine complicatione vitiorum ingentium, praeter lassitudinem et inappetentiam,

spo-

1) Bang med. Pr. Koppenh. 1791.

2) Klinge im Hufel. Journ. 5r Bd. 1s St.

3) Wichmann Ideen zur Diagn. 1r Bd. S. 89.

sporadice, et nunquam epidemice incursat atque decurrit; quod in haemorrhoea maculae ante diem septimum seu nonum rarissime evanescunt, haemorrhagiae frequentiores sunt, sed minus periculosae, quam in petechiis; — quod petechiae autem semper symptomatice in morbis et acutis et chronicis apparent, vel in decursu cujusdam morbi complicantur, quod symptomata occurrunt maligna, et febris petechialis saepe contagiosa grassatur.

Attamen eadem causa proxima haemorrhoeae in illis morbis, quos petechiae comitantur, occulta petechiarum genesis adesse, etsi incompleta, videtur. Haemorrhoea igitur, quam plurimi habuerunt anctores petechiarum speciem, est morbus proprius, ejusque species sunt petechiae, vel potius morbi pars. A scorbuto haemorrhoea differt: quod ille in regionibus maritimis frequentissime occurrit, et saepe epidemice grassatur, atque nunquam subito oritur; — quod illa spiritu foetido, statu cachectico, maculis magis viride flavis, quam rubris, aliisque scorbuti symptomatibus caret. Quod symptomata attinet, haemorrhoea ad classem haemorrhagiarum omnino pertinet; maculas enim ex stagnatione sanguinis sub epidermi effusi, et haemorrhagias ex sanguinis in internas partes profusionibus oriri, apertum est. Auctores celeberrimi igitur morbum falso dijudi-

caverunt exanthema. Symptomata exanthematica deficiunt; epidermi pellucida, sanguinis in telam cellulosam extravasata videntur. Omni in exanthemate systema cutaneum ipsum laedetur, in haemorrhoea tamen nullo vitio laborat.

§. 11.

Causa proxima haemorrhoeae in resolutione nititur vasorum cutis capillarium et debilitate, quae, tum bona valetudine, a nimio in cutem sanguinis rarefacti incursu, tum vera debilitate universa, a sanguinis in cute accumulatione passiva et ab humorum rarefactione, in dissolutionem se inclinante, pendere potest.

Bateman in aliquo vitio viscerum seu obstructione, scilicet lienis, causam esse sitam opinatur [1]), et de cadaverum sectione omni cum jure valde persuadet. Veteres jam causam aliquorum statuum morbosorum, praecipue haemorrhagiarum narium, gingivarum aliarumque partium in lienis enormitate investigabant [2]). Duos casus impertit *Bateman*: alterum pueri, ubi lienis, cujus per vitam usque ad cristam ossis ilei aucta intumescentia contrectata erat, in sectione enormitas summa inveniebatur; alterum pueri tredecim annorum, in quo, etsi ventris viscera sana

1) *Bateman* in libro dicto p. 186.

2) *Celsus* de med. lib. II. cap. 7.

essent, magna autem excrescentia carnea cum duro, cartilaginoso nucleo, duarum librarum pondere, in regione pendens glandulae thymus, ad sternum, claviculam, pericardium et ad partes proximas fixa reperiebatur. Duos casus etiam commemoravit *Reil*[1]): alterum, in quo aegrota de doloribus transitoriis in regione lineali querebatur; alterum, ubi maculae rubrae, aliae et plurimae lividae, in hypochondriis solae nigrae erant. *Swediaur* inter causas haemorrhoeae numerat lienis obstructiones.

Genesi morbi quaerenda, causas considerari excitantes multi pretii est.

Haemorrhoea originem trahit aut ab impetu talium causarum, quae mancam seu vitiosam haematosin gignunt, aut a morbis praegressis vel suppressis, exempli gratia febribus intermittentibus, qui eam reliquerunt; haemorrhoea etiam in hominibus bonae valetudinis, omnibusque vitae commodis fruentibus raro orta est, causa ignota. Quorum in respectu opinio intrudi licet, in foco haematosis focum hujusce morbi quaerendum esse. Etiamsi de lienis functione non plane eruditi simus, hoc organon haematosin adjuvare existimatur. *Bateman* igitur bene meritus est, ut hae-

1) *Reil* memorab. clin. Vol. I.

morrhoeae genesin in statu lienis morboso investiget.

AETIOLOGIA.

§. 12.

Praedispositio hujus morbi in corporis debilitate, tum ex aetate tum ex vita, vel ex morbis praegressis aliisve rebus orta, cernitur. Experientia docuit, homines debiles potius quam validos et robustos, sexum foemineum potius quam masculinum, haemorrhoeam invadere. Attamen in omni aetate, in utroque sexu, nec non utraque constitutione incursare solet. Constitutionis phlegmaticae homines praedispositi sunt. In omnibus casibus, quos pater meus observavit, aegroti erant ejusdem constitutionis. Auctores credo errare, corporis constitutionem in exanthemata, etiam in haemorrhoeam se inclinare dicentes.

§. 13.

Morbum producunt causae occasionales: vehemens laboris intentio, refrigeratio, aër impurus, humidus et calidus, corruptus, in domiciliis humidis et tabernis angustis commoratio, continuus nutrimentorum pravorum usus, animi affectus deprimentes, scarlatina praegressa [1]), febris intermittens et scorbutus praegressus, scabies suppressa, narcoticorum abusus, scilicet hyoscyami,

---

[1]) *Havinga* de morbo maculos. etc. Groning. 1799.

stramonii, belladonnae, laurocerasi aliarumque acidum hydrocyanicum continentium substantiarum, abusus spirituosorum etc. *Bateman* haemorrhoeam vidit apparere in ptyalismo vehemente usu mercurii et opii in refracta dosi.

PROGNOSIS.

§. 14.

Prognosis ad constitutionem aegroti et debilitatem, diuturnitatem morbi et stadia vel progressus se conformat. Praesagium quidem non malum augurandum est, morbo non longe durante et causis facile delendis.

Haemorrhoea incompleta minus periculosa longiore diuturnitate subito orta haemorrhagia quapiam copiosa saepe exitum sumit letalem. In haemorrhoea completa constitutio aegroti debilis, difficultas causarum deletionis, haemorrhagiae copiosae et frequentes, seu tardior et continua sanguinis exstillatio, amplificatio in vibices et ecchymomata confluentium, lividarum, vel nigrarum, decolorum macularum, praedictionem offerunt pejorem. Mali ominis sunt complicationes, potissimum scorbuti, ominis pessimi complicatio in recursu febris, cephalalgiae et symptomatum, quae sanguinis incursum ad capitem manifestant.

Sanitate visa haemorrhoea libenter recidere solet; qua frequenter recasa mala praedictio af-

fulget. Pater meus haemorrhoeam saepe recidentem semper in mortem finire observavit.

MEDELA.

§. 15.

Curae indicatio praecipue causarum spectat deletionem excitantium et continuantium; tunc in morbum medendum tenditur ipsum, denique diaetam instituere aptam studet. Cujus omnia indicationis momenta simul adhiberi oportet, si sanatio perficiatur; remedia enim aptissima efficacia carent, quamdiu causae valent, diaeta incongrua etiam ad causas excitantes et sustinentes morbum pertinet.

§. 16.

In scopo primi indicationis momenti causae sunt delendae continuantes: aër impurus, corruptus, in angustis spatiis et humidis commoratio, nutrimentorum usus pravorum etc. Igitur aër humidus vel impurus et corruptus siccetur et purgetur, fenestrae saepius aperiantur, ut aër influat purus, et loca ipsa angusta atque humida permutentur, victu nutriente et digestu facili fruatur, necesse est. Quod ad alias causas attinet, respectu earum fiat medela; morbo praegresso, quem haemorrhoea secuta, morbi ipsius causalis respectu medelam institui, summam meretur attentionem.

§. 17.

Momentum indicationis secundum, in causam morbi proximam tensum, tum efficaciam systematis vasorum excitare, tum in hoc gradum energiae normalem restituere, et dissolutionem sanguinis inientem coërcere et corrigere jubet. Cui scopo conveniunt excitantia, roborantia et antiseptica. Medela ipsa in internam et externam discernitur. Ad constitutionem aegroti, impetum causarum magis minusve debilitantium, ad debilitatem aegroti ipsam, copiositatem haemorrhagiarum et vehementiam, complicationum rationem, medendi efficacia rationis omnino attinet.

Remedia curationi respondent quasi specifica: acida mineralia (elixir acidum Halleri, acidum sulphuricum dilutum, elixir vitrioli Mynsichti), et china, radix ratanhiae, tunc cortex cascarillae, radix caryophyllatae, calamus aromaticus etc., martialia, alumen (pulvis vel serum lactis aluminosum).

In haemorrhoea incompleta, et completae initio sufficit usus acidorum mineralium et chinae; in gradu majore ad curationem pertinent remedia efficacissima, rad. ratanhiae, martialia et ipsum alumen, nec non apparatu medicamentorum externorum uti oportet. Remedia se accomodant excitantia praecipue: aromata ciborum condimenta et vina. Medela cum efficacia in incre-

mentum morbi seu decrementum stricte respondente continuanda est.

§. 18.

Constitutio aegroti robusta et praeterea sana, praecipue si causa ignota, et complicatio febris, summa circumspectione in usu tonicorum et excitantium dignae sunt, eodem modo incursus sanguinis ad capitem, dolores fixi etc. Omnia, quae de his *Bateman* dicit, commemorantem me bene meritum habeo. Si homines adulti, validi et robusti seu plethorici, semper nutrimentis congruis fructi, nec non corporis exercitio in aëre puro, haemorrhoea laborant, lingua albescente, pulsu frequente, subduro et parvo, rigore atque calore aliisque symptomatibus febrilibus quidem levissimis; si simul sentiatur dolor fixus internus, tussis sicca atque viscerum perturbationes adsint, symptomata, quae, ut opinio fert, quendam sanguinis incursum manifestant, tonica minima virtute pollent adeoque nocent. Evacuantia ex mercurio dulci in his casibus conveniunt. In obstructionibus praecipue valet calomel cum jalappa. Doloribus fixis vehementibus, symptomatibus febrilibus insignibus, haemorrhagia sponte orta non copiosa, missio sanguinis seu universa seu topica suadenda est. Quibus complicationibus delatis, tonica adhiberi licet. Aliarum medela complicationum secundum earum rationem instituenda est.

§. 19.

Remediis internis utimur sequentibus: frictionibus spirituosorum, lavamentis ex infuso herbarum aromaticarum vinoso praeparatis, et ex aqua frigida aceto maritata, balneis ex decoctis herbarum amararum, ex martialibus.

Raimann [1]) casibus (catarrho, diarrhoea) non contraindicantibus, corpore aqua frigida, cum acido sulphurico diluto vel acido muriatico (2 — 3 Dr. in libra una aquae) mixta, saepius lavando, sanationem reperit valde accelerari.

Ad haemorrhagias ex cavo oris et naribus molestas cessandas, gargarismata et collutoria ex aceto se accomodant, et in nares inculcatio carpiae mixtura vulneraria acida imbutae.

Attamen magna cautione opus est ad utendum medicamentis in haemorrhagias externis. Haemorrhagiae ut subito sistantur cavere debemus. Teste experientia, haemorrhagiam cessatam casus letales et ipsa apoplexia secuta est. Partes internae a sanguine collecto pressae exonerentur, necesse est. Haemorrhagiae copiosae et periculosae modo sistendae sunt. Praeter remedia jam dicta, hunc scopum spectant styptica: collutoria et injectiones ex aceto, mixtura vulne-

---

1) Raimann Handbuch der speciell. med. Pathol. und Therapie. Bd. 2.

raria acida, ex alumminis solutione, vel decoctis herbarum adstringentium etc. etc.

§. 20.

Diaeta gradu debilitatis et constitutioni aegroti accommodata sit. Quod cibum et potum attinet, omnia alimenta sint valde nutrientia et roborantia; sed etiam digestu facilia; inserviunt praecipue caro et ova, potus subacidi. Maximae utilitatis usus vini generosi est. Ad diaetam porro requiruntur: aëris puri usus, exercitia corporis modica, vestitus siccus et mundus, et animi exhilaratio hebetudine afflicti. In reconvalescentia diaeta congrua aliquod tempus continuanda est.

OBSERVATIONES QUAEDAM.

OBS. PRIMA.

Puella, viginti annorum, constitutione phlegmatica praedita, artuum doloribus praegressis subito totam corporis superficiem, praeter faciem, cum maculis nigris, mox pulicum mox cimicum morsuum instar, obsitam mirata videbat.

Simul ex gingivis sanguis niger prorumpebat, et prosiliebat, quem in ore collectum continuo exspuebat. Usu gargarismatum adstringentium et acidorum mineralium aegrota mox sanata erat. Post aliquod tempus nupta plures quidem pue-

ros sanos pariebat; attamen inter id tempus in morbum ter recidit eodem modo.

Anno post ultimum recidivum praeterlapso, maculae denuo apparebant et sanguinis ex ore profusio, quam non vehementem parvi aestimabat. Post aliquos dies immani capitis dolore, cum vertigine conjuncto, mane invadebatnr, ut lecto incumbere cogeretur. Arcessebatur nunc pater meus ad aegrotam, eamque pallidam, pupilla dilatata, ore sanguinis nigri et corpore macularum pleno, pulsu tardo et pleno, reperit. Mente non alienata querebatur, se videre non posse, et post quadrantem horam mortem obiit. Sectio cadaveris non permittebatur.

Sanguinem dissolutum in cerebri ventriculos extravasatum esse, omnino credendum est.

OBS. SECUNDA.

Vir quidam, expers conjugii, triginta annorum, plures per septimanas febre putrida laborabat. Chirurgum adibat, qui diversa remedia praecipiebat, denique usum opii frequentem, ex quo morbus sistebatur. Aliquibus diebus praeterlapsis maculae prorumpebant nigrae, pupilla dilatata nubila, oculis rubris rigidisque, vertigine, visu diminuto, denique amaurosi perfecta. In hoc statu pater meus aegrotum reperiebat; post aliquas horas aeger mente alienatus animam

efflabat. Sanguinis in cerebrum extravasatum opinandum erat.

OBS. TERTIA

Foemina, intra sexagesimum et septuagesimum annum, temperamenti phlegmatici, ex aliquo tempore in labio pudendorum externo sinistro nodulum sine dolore repererat. Nodulus subito sanguinem mittere incipiebat, ut nonnullis horis sanguinis multum effunderetur. Usu antisepticorum et stypticorum haemorrhagia sistebatur; sed nigrae maculae, puncti instar, passim apparebant.

Post anni dimidium haemorrhagia narium vehemens invadebat, eisdem symptomatibus conjunctis. Haemorrhagia eodem modo cessata, inter tres annos circa mensem quaternum vel quinternum recidiva erat.

Unum per annum sanitate visa, immani capitis dolore perpessa aegrota vertigine subito invadebatur, haemiplegia conjuncta; mentis alienatio, et post aliquas hebdomades mors iniit.

OBS. TERTIA.

Foemina quaedam, sexaginta annos nata, constitutione phlegmatica praedita, quae aliquod tempus antea artuum doloribus laboraverat, d. XXIV. m. Apr. 1824. patrem meum adiit, ejusque auxilium de haemorrhagiis maculisque nigris, toto in corpore, subito praeterita nocte eruptis, et de

obstruction alvi imploravit Maculae, magis coeruleae quam nigrae, lentis ad grossi magnitudinem aequantes, in partibus intectis (facie et manibus) et minores et subtiliores, quam in tectis apparuerant.

Haemorrhagiae non vehementes ex oris cavo, gingivis et superficie genarum interna, nigro cruore obductis, et ex naribus aderant. Neque ulla vitia vel molimina querebatur aegrota, pulsus erat naturalis, sed causa non reperienda erat. Remedium evacuans ex mercurio dulci, usus mixturae sulphuricae acidae, et oris collutoria ex adstringentiis praecipiebantur. Frustra autem erant, quae facta, nam omnia symptomata, obstructione alvi relicta, vehementiora apparuere.

D. 25. April. Arcessebar ad aegrotam, eamque pallidam et debilem, lecto incumbentem inveni. Haemorrhagiae ex auribus et oculis, ex ano et partibus genitalibus, mictus cruentus et alvus cruenta accederant; immo per duas in collo cicatrices sanguis persudabat. Palatum, dentes et lingua nigro cruore obducta, gingivae corrosae erant. Maculae plures, majores et nigriores, semper rotundae apparebant. Pulsus erat tardus. Praescripsit pater meus: Rp. rad. ratanh. unciam dimidiam, coq. c. aquae fervidae libra una p. hor. dimid., colat. unc. VI. add. tinct. aromat. acid. unciam dimid., syrupi unc. unam. D. S. omni bi-

horio cochlear unum, tunc omni hora, assumendum. Simul gargarismata ex infuso herbae rutae cum tinctura calami aegrotae imperabantur. Alimenta valentiora, carnes et ova, potus ex vino rhenano generoso, cui aqua immixta, ordinabantur.

D. 26. April. status idem erat.

D. 27. April. Omnia symptomata diminuta erant, haemorrhagiae erant rariores et parvae, modo ex ore, aegrota quidem lassa et debilis bene dormiverat. Praeter remedia jam memorata liquor anodynus mineralis Hoffmanni porrigebatur, quia aegrota querebatur nauseam et vomiturıtionem, ex collectione cruoris in ventriculo ortam.

D. 28. April. haemorrhagiae minimae erant, et maculae pallidiores, aegrota omnino melius se habebat. Accepit spiritum nitri dulcem cum tinctura corticis aurantiorum. Diaeta memorata continuabatur.

D. 29. April. nulla haemorrhagia, maculae gracilescere et evanescere incipiebant. Ab hoc die reconvalescentia, diaeta nutriente et animali usuque remediorum amarorum cum spiritu nitri dulci, increvit magis magisque, ut die quarto Maji omnis morbus fugatus esset. Foemina ad hunc usque diem sana mansit.

CURRICULUM VITAE,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Ferdinandus Augustus Vering, die trigesimo m. Januarii anno MDCCCV. in Guestphaliae oppido, Liesborn dicto, natus, patrem veneror Albertum Mathiam Vering, Medicinae Doctorem, matrem Theodoram de Dirkink Holmfeld. Illic per sex annos, adultior factus, institutionibus praeceptoris doctissimi, semper colendi, fructus, gymnasium, quod Monasterii floret, celeberrimum concessi. Examine abiturientium peracto, testimonio maturitatis munitus, numero civium accademicorum ordinis philosophici ibidem inscriptus anno MDCCCXXI. rectore Illustr. Werneking et Decano Illustr. Kistemacker, interpretationes Cel. Prof. Schlüter de Taciti Annalibus, de arte declamatoria; Cel. Prof. Kistemacker de Odis Pindari; Cel. Prof. Laymann de Logice; Cel. Prof. Roling de Physice; Cel. Prof. Bodde de Chemia; Cel. Prof. Wutzer, directoris scholae chirurgicae jam conditae, de Anatomia et arte cadavera rite secandi, per semestre hibernum frequentavi.

Anno MDCCCXXII. Universitatem Georgiam Augustam petii, ubi die XXVII. m. Aprilis, Rectore magnifico Bergmann, civibus academicis adscriptus sum. Praelectionibus Illustr. Schrader de Botanice, Illustr. Stromeyer de Chemia, Illustr. Langenbeck

de Anatomia et de Chirurgia, Illustr. BLUMENBACH de Physiologia et de Anatomia comparata, Illustr. HIMLY de Pathologia et Therapia generali, nec non de Therapia speciali, Cel. KRAUS de Materia medica interfui. Anno MDCCCXXV. tempore aestiva, almam Musarum sedem Berolinensem me contuli, ibique Rectore Magnifico Illustr. RUDOLPHI, Decano maxime spectabili Illustr. LINK, die XXVI. m. Aprilis studiosorum albo inscriptus, hasce praelectiones frequentavi: Illustr. RUDOLPHI de Physiologia, Illustr. HORN de morbis psychicis, Cel. KLUGE de Arte obstetricia, Perill. HUFELAND de Semiotice, Experient. SCHLEMM de Angiologia et Neurologia. Exercitationibus clinicis medicis Perill. HUFELAND interfui.

Tentamine et examine rigoroso absolutis, spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me deferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omnis haemorrhagia est crisis.

II.

Venae vim resorbendi habent.

III.

In vesania cum fixa idea potestas, poena, contradictio et disputatio nocent.

IV.

Haemorrhoea petechialis (Purpura haemorrhagica) et petechiae ad exanthemata non pertinent.